... minime liceat implere quod inchoat · Se[d]
ad memoriam ... pigri non sumus · adiuvat ipse quem amamus
ihesus xpistus dominus noster · qui vivit et regnat · Lectio sancti euangelii
secundum Lucam ·
In illo tempore · duo ex discipulis ihesu ibant ipsa die in castel
lum quod erat in spacio stadiorum sexaginta ab hierusalem
nomine emmaus et reliqua · Omelia · Lectio eiusdem
habita ad populum in basilica beati petri apostoli
In cotidiana nobis sollempnitate laborantibus
pauca loquenda sunt · et fortasse hec utilius proderunt ·
quia sepe alimenta que minus sufficiunt · avidius sumun
tur; Lectionis ergo euangelice summatim sensum perstrin
gere non per singula verba discutere · ne dilectionem vestram
valeat sermo prolixior expositionis onerare; Ecce
audistis fratres karissimi quia duobus discipulis ambulantibus
in via non quidem credentibus sed tamen de se loquentibus; dominus
apparuit · sed eis speciem quam recognoscerent non ostendit ·
Hoc ergo egit foris dominus in oculis corporis · quod apud ipsos age
batur intus in oculis cordis; Ipsi namque apud semet ip
sos intus et amabant et dubitabant; Eis autem dominus foris
et presens aderat · et quis esset non ostendebat · De se ergo loquen
tibus presentiam exhibuit · sed de se dubitantibus cogniti
onis sue speciem abscondit · Verba quidem contulit · duri
ciam intellectus increpavit · scripture sacre mysteria
que de se ipso erant aperuit · Et tamen quia adhuc in eorum
cordibus peregrinus erat a fide · ire se longius finxit ·
Fingere namque componere dicimus · unde et compositores
luti figulos vocamus · Nihil ergo simplex veritas per
duplicitatem fecit · sed talem se eis exhibuit in corpore ·
...